1571

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ Decembris 1703.

M. ABRAHAMO THEVART, Doctore Medico, Præſide.

An ſola cognitio morbi, inventio remedii?

SANITATIS munere qui fruuntur, feliciter degunt, qui carent, aſſiduè motiuntur. Sanitas in functionum omnium integritate mentiſque firmitudine poſita, conſtanti ſanguinis circuitu, pacato ſpirituum animalium influxu, & laudabili animi tranquillitate conſtat. Hæc vitæ felicitas ab utrâque pendet parte, animâ nempe & corpore; varia ſiquidem principiorum ſanguinis proportione varias anima patitur ægritudines. Ebulliente ſanguine anima effertur, frigeſcente hebeſcit, laſciviente ſplendet, torpeſcente cadit. Omnia, quibus corpus humanum conſtat, motu conſervantur; heu vitæ miſera ſors! inſtabili agitatione firmanda. Natura enim non quieſcit, ex uno in alium citiſſimè tranſit ſtatum, adeò ut fortè dubites, an morborum medicatrix, an ipſorum effectrix ipſa ſit potiori jure appellanda? Athletarum roboris apicem rangis? morborum principium attingis: neque potes in eodem permanere, neque quieſcere legibus naturæ obſtrictus: hinc fortè eſt, quòd valetudinarius, ſodalibus attritus morbis, & veluti homo novâ refingendus incude aliquando longioris ævi ſit, quàm robuſtus alius. Ex hac naturæ, quâ innitimur, inconſtantiâ ſubnaſcuntur morborum myriades, à quibus humani corporis nulla pars immunis. Morborum natura in lædendis functionibus eadem, in lædendi modo varia. Malorum curatio alea periculi plena, maximâ cum prudentiâ, ratione, & experientiâ Medico ſubeunda; nî propriæ conſcientiæ, & famæ, infami lucro ſeductus minùs ipſe conſulit.

MORBIS bene mederi Medici munus eſt, non quidem ignorantis; benignos in malignos medicando tranſmutare empiricotum carnificina nullo ſatis ſupplicio mulctanda. Adhibere curationibus artem difficultatis Agyrtarum dolus eſt, famam aucupantium; nam ſi ægrotantes ſalutem recuperent, vafri illi difficillimum morbum ſe ſuperaſſe arroganter glotiantur. Raptim verò & fucatâ curatione morbos, præſertim febres reprimere, ignem eſt fovere cinere doloſo; etenim fugitiva curationum repentinarum voluptas ut occupat, ſic relinquit; felicitas longior eſt ſpectare ſecurum: laxandi ergo ſunt aliquando febrium freni, nec anguſtiſſimo gyro earum impetus febrifugo exhibito præmaturè refringendi. Ardua certè & abſtruſa recta medendi methodus, aſſiduâ experientiâ, indefeſſoque labore, cum ratione comparanda. Phyſices ſubtilitatibus ſtudere, neglectâ praxi, hominis eſt genio potiùs, quàm ægrotantibus conſulentis. Illas ſimulatâ prudentiâ rejiciendas omninò putas? ſocordiæ eſt, ingeniique laxiſſimi; ſine ratione experimenta inſequeris? Icareum præcipitium inſectaris; ſine experientiâ rationi tantùm indulges? Syziphi ſaxum ſuſcipis volvendum. Remediorum inventio ut utiliſſima, ſic & difficillima res videtur; hæc in cauſarum cognitione ſita diligentem deſiderat Medicum, qui non ſolùm cognitionis morborum ſollicitus, ſed cauſarum ſtudioſus eſſe debet. Morborum differentiæ penè ſunt innumeræ; has in principio diſtinguere, plenum eſt difficultatis opus. Morbi naſcentes herbulis è terrâ emergentibus ſimiles profectò ſunt; illæ vel rei herbariæ peritis tunc prorſus incognitæ. Non ſolùm quidem recentes ægritudinum ortus ſuum celare ſolent genus, ipſa plerunque inter illas ſimilitudo non ſatis earum familiam demonſtrat; febres omnes eumdem ferè modum naſcendi ſortiuntur, poſtmodum in quotidianarum, tertianarum, quartanarum, continuarumve naturam abituræ, tempore, aut circuituum reciprocantium charactere rectè deſignandæ.

TE prorſus latet ſpecies morbi, at verò acutiem ejus & periculum times? nil tibi faciendum? hærebiſne conterritus eò uſque tragœdiæ ſpectator? age ergo, occaſio præceps eſt, in principio ſi quid tibi videtur movendum, move; cave tamen decipiaris, feſtina lentè: multo igitur meliùs ægrotantium ſaluti proſpicitur, ſi nondum cognitis morbis, remedia præſcribantur, quàm ſi uſque dum cogniti ſint, ſine omni auxilio deſerantur, dummodo ad cauſarum ſigna attendamus. Ambigua veræ pleuritidis & doloris lateris ſpurii ſigna in calidis applicandis fomentis vel ipſum Hippocratem, morbo adhuc incognito, minimè remorantur: aliquid ergo tentandum eſt, ſed cum prudentiâ tentandum. Remedia exhibe, quæ ſi non proſint, illud, cujus adhuc incertus es, malum non augeant. Variæ quidem ſunt uniuſcujuſque morbi cauſæ, quas ſi callueris Medicus, tam cognitos, quàm incognitos ſanaturus erit indubiè morbos, qui eò faciliùs ſuperantur, quò illorum cauſa clariùs innoteſcit. Exſibilandi illi, qui cauſarum ignari, aut nunquam ſolliciti, ſtatim ac morbi nomen audiunt, improbâ garrulitate ſecreta tali morbo proficua (an meliùs dicas nomini tantùm dicata morbi) ſe habere lepidè obtrudunt, & audacter, impunè tamen, ea veluti ex commentario præſcribere nunquam verentur. Verùm enimvero tergiverſari poſtmodum, atque hærere horumce veteratorum petulantiam videas, gravitate, & complicatione morborum confuſam.

ALIUD eſt morbus, aliud ipſius cauſa; ille effectus, hæc verò effectrix. Illum cognoſcis; haudquaquam iſtam percipis, arctiſſimè licet unum ab alio pendeat, & foveatur. Quis ergo Medicinæ tiro febrem tertio quoque recurrentem die, tertianam eſſe ineptiſſimè ambigit? quæ vel marcida anus frequentes, cruentas cum dolore, & ventris torminibus fluentes dejectiones videns, dyſenteriam adeſſe dubitavit? cauſæ ideò certa? nil minùs; hæc altiùs deliteſcens vulgi oculos fugit, artis verò peritis ultrò pateſcit. Specie morbi perſpectâ, quærenda attamen reſtat ejuſdem cauſa, utiliorum longè indicationum radix, & fundamentum præcipuum; cujus notitia intimâ ſignorum contemplatione illuceſcit. Cauſarum ferè omnium morborum argumenta petis? Concitum aut retardatum ſanguinis inteſtinum motum obſerva, ex cujus indagatione ſanguinis malæ mixtionis ſigna deſumes, à quâ unâ omne malorum genus derivatur. Torpeſcentis ſanguinis fluxûs acidum author, cuſpidatum corpus ad motum ineptum; hoc luxuriante ſanguinis filamenta veluti conſuta in majores coagmentata moleculas, aliquandò ut in febribus majori motûs quantitate, at minori velocitate cientur; Alkalino verò ſale carminantur, pectunrur, atque magis expanſa, ad velociorem motum procliviora redduntur. Ludunt ſanè, qui ſanguinem alkalino inſpiſſari ſale contendunt. Nec te fallant varia, quæ in excrementis aliiſque corporis morboſi liquoribus inſtitui ſolent, experimenta ſal acre atteſtantia; ut fermentatio cum acidis ſuccis; color viridis qui ad hujuſmodi excrementorum admixtionem cum cæruleâ tincturâ reſultat: nitri ſiquidem vinique ſpiritus, ambo licèt acidi ſint, ſtrenuè fermenteſcunt: pulvere vitrioli cyprii florum malvarum tinctura vireſcit; quamvis cuſpidibus acidis terrâ involutis tota inhorreſcat vitrioli moles & congeries: omnium ferè ægrotantium urinâ, tum etiam ſanotum recenter mictâ eadem tinctura rubeſcit; vireſcit verò, ſi cum urinâ per tres aut quatuot ſervatâ horas miſceatur. Sale acri ſulphureæ in phlegmate innatantes moleculæ ad mucoſam uſque coguntur denſitatem, ſi omni prorsùs deſtituantur calore; quod fieri in corpore vivenri nequit, in quo omnia calent, undè ſcabræ alkalini ſalis ſuperficies intra corpus agitatæ potiùs rumpere, & attenuare, quàm irretire ſulphurum moleculas poterunt. Acidi, ſicut & alkali Protheiformis indoles & natura: unum genus acidi, unum & alcali; verùm utrorumque variæ ſunt quoad magnitudinem ſpecies, graduſque diverſi. Hos ut cognoſcas, auxilio tibi erit Analyſis Chimica, quâ, diſſecante igne, naturæ viſcera feliciter rimaberis, horumque ſalium multiplices erues differentias: quibus examinatis analogoque ſanguini ſucco admixtis, (vel ſi mavis & ipſi ſanguini) quid valeant in humoribus noſtris, intelliges, quibuſque mediis eorum efferus ſeu incongtuus motus compeſcatur aut emendetur, ediſces, & faciliùs optima morbis remedia invenies, quàm ſi tantùm morborum fueris ſtudioſus nomenclator.

ACCIDUNT ſanè morbi quadam inevitabili naturæ neceſſitate; verùm eſt in ipſâ calamitate felicitas, cùm anceps ægrotantium fortuna doctum ſortita expertumque Medicum fuerit; qui non perfunctoriè, ſed optimis ſuffultus indicationibus curaverit, in quibus totus rationalis Medicinæ cardo vertitur. Fluunr ejuſmodi indicationes ex triplici fonte, morbo nempe, ſymptomate, & morbi cauſa. Morbus ut actiones lædens therapeuticam ſui ablationem indicat, atque quomodo, quando, quandiu, ubi, & quantum agendum ſit, ſolùm inſinuat, remedium verò nunquam demonſtrat, niſi in quibuſdam partium morbis. Erranr antiqui, qui cùm in primis qualitatibus morbos poſuêre, febrem calore ſemper ſtipatam remedia frigida indicare aſſeruerunt. Symptomatis indicatio ad ſe quandoque totam curantis intentionem trahit, ubi cauſæ rationem obtinuerit; cave tamen lædas in evacuationibus ſymptomaticis ſemper curandis. Clazomenium dyſenterica evacuatio à morbo liberavit. Cherionem tam graviter ægrotantem dejectionibus perpetuò afflictum jugulaviſſet Hippocrates ſymptoma illud cohibendo. Neque ergo ad terribilia morborum ſymptomata Medici prudentia illicò conſternatur, debet enim hæc eſſe, & videri animoſa: in parvis propè ad ſecuritatem remiſſa, in mediocribus modicè diligentior; ubi magna venerunt, juxta magnitudinem exantlandi laboris erigatur. Sola cauſa optimum tutumque medicamen indicat; illius naturæ guarus, rarò fallitur, rarò in inventione remedii decipitur. Cauſâ penitus latente, nec illud, quod multis ſaluti fuit remedium, proficuum: Vidimus multoties febres adverſus remediorum communium, febrifugorumve jugum appoſitum cervice dubiâ contumaces, irredivivo furore, nefandis ſtimulis excitatas, ob ignorationem cauſæ. In hac ergo expiſcanda totus labor, totum collocandum ſtudium; quod qui fecerit, quis erit unquam ad præſentiendum ſagacior, quis vigilantior ad videndum, quis contemplabitur futura acriùs, ventura prolixiùs, ambigua certiùs, captioſa feliciùs?

Ergo non ſola cognitio morbi, inventio remedii.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Franciſcus Dutal.
M. Michaël-Ludovicus Reneaume de la Garanne, è Regiâ ſcientiarum Academiâ.
M. Ludovicus Demondiers Dugué.

M. Raymundus Jacobus Finot.
M. Claudius Berger, è Regiâ ſcientiarum Academiâ.
M. Philippus-Bernardus de Bordegaraye.

M. Franciſcus Vezou.
M. Claudius Berger.
M. Dominicus de Farcy, Academiæ Cenſor.

Proponebat Pariſiis PETRUS AZEVEDO, Hiſpanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.